

CHRISTOPHORI
BESOLDI
JC.

VITÆ ET MORTIS
consideratio Politica,

Libellis tribus comprehensa:

Quorum

- I. DE VITÆ SUSTENTATIONE,
- II. DE CURA SANITATIS,
- III. DE SEPULTURA, AGIT.



ARGENTORATI

Impensis Hæredum LAZARI ZETZNERI

Anno M DC XXIII



LIBER PRIMVS

CAPVT I.

De Agricultura, pecuaria: & Vtura.

Ita, quam iucundam omnibus opto, acerba mihi est; & Mortem idè in votis habeo, vt vivere queam cum Christo; sicq; nunc de vitâ, in gratiam aliorum; me verò, vt exerceam jugi abitus recordatione, de morte pariter agam. At cum haud possim id more, jureque Theologorum; politicè saltem id faciam, & per Discursum: nectens sensus, & verba aliorum; sine præjudicio partium, sectæque cuiusvis.

II. Non autem subditos solum habere; sed & ii, vivendi vt habeant facultatem, providendum est Imperanti omnino. Quare reprehensus justè fuit ab Alexandro Magno, Dinochares Architectus; quod in vrbe Alexandria condendâ, quam in montis altissimi speculâ suadebat collocari, alimonij non perpendisset rationem. Plutarchus in *vitâ Alexandri*.

III. Sed quemadmodum in naturalibus rebus, partes totius constitutionis, non hoc sunt, quod ea, sine quibus totum consistere non potest, (nam & aer non ad hominis pertinet constitutionem, licet eo sine, nequeat vivere ullus) sic haud dubiè, ne civitatis quidem partes esse existimari omnia debent, quæ necessariò Civitatibus adsunt. Et ita, cum opes suppetere debeant Civitatibus; ipsæ tamen in Civitatibus parte non numerantur, Aristot. *lib. 7. politic. cap. 8. à princ.* proindeque haud ad constitutionem, sed ad conservationem, earum tractatio pertinebit.

IV. Hic alimenta primum; deinde artes vt suppetant necesse est: Vita namque multis eget instrumentis. *diff. cap. 8. lib. 7. politic.* Quæstuaria idcirco, seu scientia rem familiarem acquirendi; vel est Naturalis, vel Artificialis.

V. Naturalis, vel viva; ex pecoribus: vel mortua ex fructibus terræ. Ad artificialem, ac quasi præternaturalem; Mercatura, & artificia cætera referuntur. Arist. *1. politic. cap. 5. & 6.* Estque artificialis longè inferior naturali. Inde Iudæi, intra terræ suæ fines, ijs opibus contenti, quas illis natura producebat, vitam procul commercijs agitavere. Petr. Cunnæ. *1. de Rep. Hebraeor. cap. 4.* Et item invisi semper Aegyptijs fuere Iudæi, nullam magis ob causam, quàm ex dissimilitudine vitæ, studio-

cum aliis, citrà diem octavum, à funere versarentur. Et ibi adduntur alia statuta, digna lectu, & quæ ex parte usurpare liceret in simili casu. Anno M D LXXVIII. ut memoriæ mandavit Conestagijs, *lib. 4. de Portugall. cum Castell. coniuñct. fol. mibi 183. &c.* Pests, postquam in Italia, Germania, Anglia, & parte Galliæ grassata esset, tandem etiam Portugalliæ Regnum, & inde in totam Hispaniam pervasit: sed nullibi magis læviit, quàm in urbe Lisybonâ. Savissima hæc pests, fortassis à Deo Opt. Max. ob peccata immissa, non ex aëris corruptione, sed ex contagione nata erat. Derivata fuit in illud Regnum, ab hominibus & mercibus, quæ ex locis infectis veniebant: cumque urbs Lisybona, magnam partem à muris nuda, & mercaturæ deditissima sit, difficile erat prohibere, ne huiusmodi tùm homines, tùm merces reciperentur. Clementia aëris, sordes civitatis, nimius communis esus piscium, incuria Magistratus, cui cura sanitatis tuendæ commissa erat, in ægrotis à sanis separandis, & in reliquis rebus omnibus, siue inscitia, siue negligentia, malum nutriebant. Quia vero hoc morbo infecti, brevissimo temporis spacio moriebantur, & quia ille instar ignis, pulverem tormentarium incendentis, celerrimè omnes, qui ad ægrotos accedebant, corripiebat; magnus civibus terror incausus fuit. Tandem docuit experientia, remedia lenientia, Cornu Monocerotis, & Lapidem Bezoar, plurimùm omnium prodesse.

LIBER III. & ult.

De Sepulturâ.

CAPUT I.

Cadavera terra mandanda: ac nemini facile denegandam esse sepulturam.

SUbjungendum est tandem aliquid de Sepulturâ, seu curâ Mortuorum. Ubi primò sciendum, pium esse mortuos honorificè sepelire, licet nil adimat Christiano, ubicunque sepeliatur. B. Augustinus *de civitate Dei* 1. cap. 12. In memoriâ enim humanæ conditionis, sepulturæ corpora tradere, laudabile est, *quidam 27. ff. de condit. inst. tut.* Andreas Dalmier, *de iure hominis, lib. 1. part. 14.* Corpora autem terræ sunt mandanda, non custodienda Aegyptiorum more. Mos etenim est nobilium, & præ-